Hoseas in vltimo regno vaticinatus
inno in iudicio plus deus vult
exagit, quam Hæretico, quod
colligitur & solum ex libro c.
1, 1. P. d. d. d. d. d. d. d. d.
vaticinatus

Collectores vero possunt
vel proptiarum (proptiarum
esse, vel alienatum hinc
generis sunt viri: Hieronim.
Illius vero Salomon et
Agur.

Proverbia an-
te Salomonis
lapsum dicta
sunt,

an vero
scripta?

18. c. 18, 4. Ceterum vt Salomo ipse, sic Agur & Viri His-
kiae pro talibus אספות בעלי אספות seu auctoribus collectionum
nobis merito suo agnoscuntur, quales propter sententia-
rum efficaciam Salomon cum depactis comparat paxillis, da-
tosque ait מרעה אחר a pastore vno eodemque, qui est
Deus, Coh. 12, 11.

§. XV. De tempore item serriptionis non vnum au-
ctores sentiunt. Recte quidem Geierus in Proleg. ad
hunc librum, ex 1 Reg. 5, 12. euincit, Proverbia ante la-
psum Salomonis ab ipso fuisse dictitata, & sine dubio non
semel, sed repetita saepius pro re nata. Num vero litteris
tunc dicta statim consignarit, & quidem ea forma, qua
nos iam possidemus, id neminem opinatur posse decidere.
Cui sententiae & nos vtique subscribimus, si ad deciden-
dum argumenta requirantur, vt vocant, apodictica: sin
probabilitates sufficiant, Proverbia ante Salomonis lapsum
scripta non minus, quam dictitata videntur, licet, quod
supra §. 7. iam obseruauimus, temporum iniuriis numero
diminuta fuerint. Rationes, quae nos obstringunt, sunt 1)
quod Salomo lapsus sui mentionem in hoc libro nusquam
iniecerit, sicuti quidem fecit in suo *Cobeleth* passim. nihil
hic de aberrationibus suis 2), de quibus tamen occasione
institutionis maternae c. 31, 3. dicere potuisset: e contra-
rio laudabilia quaeque de se memorat, ex. gr. c. 3, 4. 2) Quod
idem

1) Fortan allegari posset Prou. 30, 1. אגור בן יקח, quod nomen
Cocceius in Lex Hebr. sub אגור pro enigmatico Salomonis habet,
q. d. Recollectus filius obedientis. Idemque, Salomo, inquit, hoc
sibi nomen fecit, tanquam inueniens aberrationem suam, ex qua rece-
ptus est. Addi posset c. 24, 32. quem locum sic reddiderunt LXX,
ὁ ἄσπυρος ἐγὼ μετενόησα. Tandem ego respui: id quod praecedan-
teum videtur lapsum respicere. Sed ad (1) negatur, Salomonem
ipsum sub nomine Agur significari: rationes dedimus supra § XIII.
not. k) Quod vero ad (2) versio τῶν LXX plane incongrua est,
& ablutit a textu Hebraeo, in quo sic habetur: cumque aspexi
ego aduertii animum; vidi, summi disciplinam.

idem ille locus 1 Reg. 5, 12. ex quo B. Geierus dictitata ante lapsum Proverbia probat, eadem & ante lapsum scripta non obscure innuat. Nisi enim tum quoque in litteras relata fuissent, cum dictitata; quomodo potuisset certus eorum numerus, isque trium millium, definiri? Aliter quidem Hebræi in *Seder Olam rabba* Edit. Meyer. f. 41. cum Salomonis lapsum exposuissent, *Verum*, inquit, *cum consenuisset, prope mortem ipsius, habitavit super eum Spiritus S. & dictavit hos libros, Proverbia, Canticum & Cobelesb.* Quæ totidem verbis existant in *Talkut* ad 1 Reg. 3. p. 41. Et sic R. *Gedalias* in *Schalscheleth hakkabbala* p. 15. a. *Extrema ætate*, inquit, *habitavit super eum Spiritus S. & confecit librum Proverbiorum, Canticum & Cobelesb.* Quo pertinent Versionis Syriacæ exemplaria MSra, quæ, notante *Herb. Thorndicio* in *Varr. Lect. Syr. ad Prou. 1.* in *Bibl. Polygl. Anglicanis*, sequentia præmittunt: שלמון הכתב הלין כתבא רבכרותא מ' שנתן קריס ריון למאתתה רמרן כבשר צ'נה שנתן *Salomo scripsit libros hosce propheticos XL. annis; m) ante aduentum vero Domini nostri in carne 1500. annis.* Verum hæc testimonia tum demum valerent, si vel rationibus suffulta essent, vel incommodi nihil haberent. Paulo propius abest a nobis *Lightfootus* in *Chron. V. T. p. 75.* *Exactum quidem tempus*, inquit, *incertum est; ideoque curiose non inquirendum: verum si latinus quoddam spatium concipere liceat, scriptioem Proverbiorum contriisse existimamus inter tempus illud, quo filii sub illius institutione excrevere in aliquam maturitatem, & quo ipse ab exoribus idololatriæ illeceus est in lapsum.* Fundamentum tamen, cui *Vir doctissimus* *chronologiam huius*

מ' שנתן קריס ריון למאתתה רמרן כבשר צ'נה שנתן
 ס' cum
 900.

n) Tot annos regnavit Salomo 1 Reg. 11, 42. Sic igitur Proverbia ex mente Syrorum essent obseruationes sapientiæ practicæ per vniuersum regni tempus a Salomone collectæ, & extremo circiter ætatis anno in ordinem redactæ ac obfignatæ.

ius libri superstruxit, non vsque quaque videtur solidum esse.

Libri Obiectum personale vale.

§. XVI. Supponit nempe *Lightfootus*, vniuersum prologum libri, a principio primi capitis ad noni capitis finem, in eum præcipue finem ab ipso compositum videri, vt *Filii* inferuiret institutioni. credo, quia c. 1. 8. obiectum suum personale sic Salomo compellat: *Audi, mi fili, institutionem patris tui*: quæ compellatio frequentissime recurrit, Ex. gr. v. 10. 15. c. 2. 1. c. 3. 1. 11. &c. Nobis vero illud כבני, *Fili mi*, caritatum potius, quam naturæ vocabulum in hoc libro est, adfectum docentis paternum, filiali lektoris obsequio pensandum, insinuans. Cuius sententiæ præsidium habemus in epistola ad Hebræos c. 12. 5. quæ, vbi locum ex Prou. 3. 11. adducit, *Estis, inquit, obliuisci adhortationis, quæ vobis TANQVAM FILIUS loquitur: FILII MI, castigationem Domini ne negligito*. Et sunt hoc ipso in libro, quæ *Lightfooti* sententiâ conuellunt. Supponamus enim, Salomonem c. 1. 8. filio Rehabeamo loqui, serupulum igitur sic mouebit posterius eius commatis hemistichium, *Et ne abiicias doctrinam matris tuæ*. Quippe Rehabeami mater *Naama* erat de Ammoniticis mulieribus 1 Reg. 14. 21. quæ Salomonem ad idololatriam imprimis steterunt c. 11. 1. seqq. Ecquis vero credat, Salomonem, dum Spiritu S. ageretur, filium ablegare voluisse ad doctrinam mulieris Ammonitiæ, probabiliter in Deum Israelis non satis fidæ n)? Fuisse hoc ouem lupo committere, & filium immolare

T id castigatur ex 1 Reg. 14. 21. vbi Rehabeam dicitur fuisse וכל בני ארבעים ושתים שנה בן דוד. וכל בני ארבעים ושתים שנה בן דוד. וכל בני ארבעים ושתים שנה בן דוד.

n) Vno quidem nec repugnante forsitan Dauide, Salomo Rehabeami matrem duxerat; vnde præsumi meliorem in partem de ea posset: verum recte indicare videtur illustris auctor *Hist. Eccl. Gosh. p. 199. Euentu comprobatum est, inquit, matrimonia hæc externa paruum feliciter successisse, vnt caute fuerint procurata. & p. 207. Licet non sit incredibile, sub initium contubernii aut matrimonii feminas illas verum Dei cultum simulasse; mox tamen ad ingenium redierunt.*

immolare Molocho. Existimandum igitur potius est, personale huius libri obiectum esse quemlibet eius lectorem vel auditorem, siue sapientem siue stultum, siue iuuenem siue senem c. 1, 4, 5. Vnde & in plurali suos aliquando lectores compellat, v. gr. c. 4, 1. c. 5, 7. c. 7, 24. vt non vni, sed vniuersis videatur loqui; sepius vero in singulari, vt lector, quisquis sit, sibi inprimis ac nominatim ista dici existimet: id quod liquet ex c. 22, 19. vbi duplici iccirco pronomine lectorem non sine emphasi compellat, **למדך** **למדך** **למדך** Scire te feci hodie, etiam te, inquam.

§. XVII. Scopum huius libri ab ipso videas Salomone expressum, & generalius quidem c. 1, 2. seqq. **AD SCIENDAM** nempe **SAPIENTIAM** & disciplinam, ad intelligenda verba prudentiae, & suscipiendam eruditionem doctrinae, iustitiam, & iudicium, & equitatem, cetera. Specialius vero doctrinae suae finem constituit c. 22, 19. *Ut sit in DOMINO fiducia tua*, hoc est, vt discas in omnibus negotiis tuis vnice pendere a Deo, & huius potius, quam tuae sapientiae, confidere. Hoc enim quisquis facit, is demum Salomoni vir sapiens est, idemque beatus. Inde est, quod hortatur c. 3, 5. seqq. *Confide super Domino ex toto corde tuo, & tuae ne innitaris prudentiae: in omnibus viis tuis agnosce eum; is enim diriget semitas tuas. Noli sapiens esse in oculis tuis: time Dominum, & recede a malo.* Inde c. 1, 7. **TIMOR DOMINI**, inquit, *est initium sapientiae*, seu prima & summa sapientia. Inde est porro, quod ad hypostaticam Sapientiam, quam c. 8. inprimis loquentem facit, tanquam ad sapientiae, qua in hominibus donum Dei est, fontem & effectricem, lectores suos ducit: qua ex re, sicut in ceteris fere libris canonicis, sic etiam in Proverbiis ad Christum, ceu scopum, respici cognoscitur. Liquet & hoc ipsum ex observationibus ac parenesibus practicis c. 16, 1. seqq. *Homini sunt dispositiones cordis, sed a Domino est aptum responsum linguae: omnes viae viri sunt purae in oculis ipsius;*
C
sed

*Tot in. filium hunc quoque
vocat, non quod is in se
lu. filiationis iam sit, sed
quod eius participes fieri
queat. Vnde adparet, Sal
dos in hoc libro conuerti
ri, & qui marose est in
Vter datus, d. qui vacile
Scopus. Si et orien
tionis speculacione.*

*... etiam c. 31. eam
sub lehemate virtuosae
mulieris commendat;
coll. infra p. 27. not. x.*

sed qui ponderat spiritus, Dominus est. *Volue igitur super Dominum opera tua: & firmabuntur cogitationes tue.* item c. 19, 21. *Multe sunt cogitationes in corde viri; at consilium Domini, illud perstabit.* cetera. Adeo ut clarum sit, Salomonē id agere, ut lectorem a fiducia sui auocet ad timorem Domini, & in timore Domini ad veram sapientiam, in omnibus vbique actionibus ac negotiis commouendam. Quapropter non errauerit, qui scopum, Ecclesiastico Salomonis præfixum, Proverbiis eiusdem esse communem dixerit. Eum vero sic figit Salomo: *Finem verbi, hoc est, scopum, quo vniuersa tetendit oratio, cuncti audiamus: Deum time, & præcepta eius custodi; quoniam hoc omnium est bonum.* Respectus tantummodo diuersus est, quo Salomo ambobus in libris ad hunc scopum ducit: Ecclesiasticus nempe timorem Domini ut finem respicit, quatenus in eo sit summum bonum & vera animi quies; Proverbia vero, quatenus in eo contineatur vera sapientia ac prudentia.

Qualem sapi-
entiam doce-
at?

§. XVIII. Inde vero cognosci potest, cuiusmodi illa sapientia sit, quam liber hic docet: non qualem ethnicorum philosophorum tradidere, ratione ac viribus superstructam humanis o), eamque turgidam, terrenam, animalem ac dæmoniācam; sed desuper venientem, castam, pacificam, moderatam, obsequentem, plenam misericordiæ & fructuum bonorum, sine disceptatione ac simulatione Iac. 3, 15, 17. Pie admodum Rodolphus Baynus Præf. Comment. in hunc librum, *Mirata est olim antiquitas, inquit, Thaletem, Solonem, Biantem & aliquot alios: sed Socratem imprimis, Apollinis oraculo iudicatum omnium sapientissimum.* - Ceterum istos, quamlibet præclare philosophantes, a sapientia, quam profitebantur, alienissimos fuisse conflat, ut qui ne principium quidem sapientiæ nouerant: *Inisium*

o) Conf. Summe Venerabilis Abbatis Breithaupti Disp. de Virtute quatenus vna existit, p. 28, & 29.

ium sapientie timor Domini. p) Plane vero cum Salomonia sapientia congruunt, quæ Eusebius in *Præparat. Euang.* lib. XI. c. 4. de morum apud Hebræos disciplina tradit: *Et bonorum ipsi finem, & summum beate viuendi terminum, Pietatem, & profectam ex morum integritate cum Deo coniunctionem, tam diligenter persecuti sunt, quam complexi vehementer.* Et post alia, *Diuina ex fiducia, inquit, tanquam ex fune quodam vi nulla rampendo, cuncta suspendentes, eum duntaxat, qui Deo carus esset, beatum esse statuerunt.* Deus enim, *uti bonorum omnium dispensator, auctorque vite, nec modo fons virtutis ipsius, verum etiam omnium tam corporis, quam nature bonorum largitor est; ita solus ei ad beate viuendum satis omnino fuerit, qui eius in amicitiam vera sit ac solida pietate susceptus.*

§. XIX. Ceterum ut ea, quæ diximus, vterius declarentur, lubet hic argumentum libri ex *Cel. Mat. Oecon.* *Eiusdem argumentum,* mia V. T. p. 838. seqq. subiicere. „Exprimit autem officia, „omnibus hominum generibus obseruanda, erga Deum, „proximum & seipsum, in quibus summa & omnis sapientia rerum diuinarum & humanarum consistit. - - Scripta Proverbia esse ad cognoscendum sapientiam & eruditionem - - vel ex principio constat c. 1, 2. Ad sapientie veræ auctorem & doctorem vnicum optimumque, siue sapientiam hypostaticam, deducit homines & inuitat Salomo solicite c. 1, 20. seqq. immo eam ipsam loquentem inducit c. VIII. & IX, commendatque magnopere, quo deuitatis labyrinthis errorum erroneousque doctorum, qui meretricum & seductricis mulieris schema habent c. V. VI. VII. viam sapientie recte ingrediantur simplices, & ad salutem cum suam, tum aliorum instituantur. - - De domo a Sapientia hypostatica ædificata & ædificanda - -

C 2

c. IX.

p) Hoc principium veræ sapientie ante Salomonem Dauid iam inculcauerat Ps. 111, 10. quin & diuinitus traditum omni retro tempore pia tennerat antiquitas, docente Iobo c. 28, 28.

c. IX. traditur. Speciatim - - c. X. XI. XII. de iustitia &
 „iustorum proprietatibus, deque causis & mediis eius,
 „disciplina & prudentia c. XIII. XIV. XV. prouidentia item
 „diuina, omnia dirigente c. XVI. nec non eius oppositis,
 „ira, ebrietate, otio, superbia c. XVII. XVIII. XIX. XX.
 „XXI. adiunctis, & bona fama c. XXII. temperantia c. XXIII.
 „patientia & fortitudine c. XXIV. potissimum tractantur
 „Quibus tanquam fundamentis recte positis superstruun-
 „tur specialia monita & officia, in administratione regni &
 „conseruatione hominum obseruanda, & fugiendis vitiis,
 „c. XXV. XXVI. XXVII. mala conscientia, eiusque caus-
 „sa, tyrannide, iniustitia, &c. in Rep. & Oeconomia c.
 „XXVIII. XXIX. - - - Eiusdem generis sunt sententiæ
 „Aguris c. XXX. Sapientiam Dei in mysterio tradentes
 „strictim. Quibus monita materna subiunguntur c. XXXI.
 „& commendatio mulieris virtuosa. cetera.

*Dignitas &
 pretium.*

§. XX. Siue igitur auctorem libri respicias, siue sco-
 pum eius & argumentum, siue antiquitatem ac pulcherri-
 mum denique usum consideres, est omnino dignissimus,
 qui ab omnibus veræ sapientiæ studiosis diligenter ac se-
 dulo voluatur. Etenim si Salomo ipseus Dei iudicio sapi-
 entissimus fuit; si vniuersus orbis quondam eius doctri-
 nam miratus est: dubitari non debet, quin eximia quæ-
 dam ac cælestis sapientia hoc libro eius sit prodita. Ipse
 Salomo, ne quis falli nostrum iudicium opinetur, istam
 nobis præsumtionem fecit Coh. 12, 9. Nec frustra sapien-
 tissimus auctor, quando Proverbia inscripsit, *regie suæ di-*
gnitatis mentionem adiecit censendus est. Hoc enim
 ipso, vt alias causas taceamus, animis legentium libri vi-
 detur æstimum insinuare voluisse, vt reputent, Proverbia
 isthæc non otiosi cuiusdam scholastici foetum esse, sed ma-
 ximi & excellentissimi Regis, nec in scholæ subselliis ac
 umbra, sed pro regio tribunali natam, coll. Coh. 1, 12 id-
 que ob vulgare præiudicium, quo velut umbraticum sape
 con-

contemnitur, quod ex tchola profectum est; contra vero
 æstimatur ac sapit, quod ex aula, & ipsius maxime princi-
 pis processit ore. Queris igitur, cur audiendus Salomo?
 cur legenda hæc eius Prouerbia? Audi ipsum causas ex-
 plicantem c. 8, 6. *Audite*, inquit, *quoniam* (נבירים) prin-
 cipalia, hoc est, ipsis digna principibus, loquar. & c. 22,
 20. *Nonne scripsi tibi* (שרישים) *ducalia*, hoc est, insignia,
 & quæ ducibus etiam conueniant, *in consiliis ac sapien-*
tia? q. d. Nihil hic humile aut abiectum, nihil quod tan-
 quam triuiale spernatur; sed eximia quæque, & digna excel-
 siss atque erectis mentibus; utpote ab auctore Rege pronun-
 ciata. Quodsi adagia nihil aliud sunt, quam reliquæ
 prisce illius philosophiæ, quæ maximis humanarum rerum
 cladibus extincta fuit, ut Aristoteles apud Synesum adfir-
 mauit; quantiuis igitur pretii est liber Prouerbiorum, qui-
 bus quod ille de ethnicorum adagiis dixit, multo magis
 competit. Hæc adolescentiam formant, senectutem gu-
 bernant; secundas res moderantur, aduersis perfrugium ac
 solatium præbent; profunt domi, iuuant in bello, in Re-
 publ. in foro. Habes hic pulcherrimarum sententiarum
 de officiis, virtutibus vitiisque, ac humanæ vitæ conditio-
 nibus, cornu copiæ locupletissimum: habes quæ translatio-
 nis ac figuræ pigmento oblectent, & sententiæ profint v-
 tilitate. Sic *Basilius* apud *Suicerum* in Thef. Eccl. P. II. p.
 601. Prouerbia Salomonis merito suo laudauit, tanquam
 λόγους πορροπενοδς, παρὰ πᾶσαν τὴν εἰς τὴν ὁδὸν χρησιμεύ-
 οντας. Et *Abulfaragius* in Hist. Dynast. p. 35. Est etiam Sa-
 lomoni, inquit, *liber Prouerbiorum de sapientia practica, at*
quantus liber.

§. 21. Hoc vnum forte quibusdam displicuerit, quod *Doctrina mo-*
Salomo in tradendis virtutum ac sapientiæ præceptis, par-
 ticulari ac paranetico sermonis genere vsus sit; quorum
 hoc nimis simplex videatur, illud vero pæne ludicrum ac
 puerile, ludentibus magis, quam philosophantibus, di-
 gnum.

De aphoristicis syon.
raboti's Sal. egregie
inicial, et ex illis do
trinam de accipia
nibz sparsis illustrat
de Augm. Scient. p.
 589.

gnum. Sed hi fere erunt, quibus nihil sapit, nisi quod fit in formam iusti systematis compactum, explicatumque (vt vocant) scientificè. His quidem artificium doctrinæ non inuidemus, nec systematicæ institutionis methodum cul-
 pamus: attamen si meminissent, quod viri docti iam dudum obseruarunt, paræneticam methodum in tradenda morum philosophia maxime naturalem esse, omnibusque veteribus fere communem, mitius, credo, iudicaturi es-
 sent. Experientia certe docet, morum systemata, quæ virtutem diligentissime, ac sec. omnes methodi leges definiunt, diuidunt, perque causas explicant, minus vplurimum ad amplectendam virtutem incitamentum præbere, quam apophthegmaticas, quales in hoc libro, paræneses, ipso suo acumine in hominum animos penetrantes, de quibus Salomo Coh. 12. u. *Verba sapientum, inquit, sunt velut aculei, & qui collectanea fecerunt, velut infixi clauis.* Nec video, cur paræmiales lusus ac similitudinum concinnitates isti censores aspèrnerent, cum Christus ipse ac Prophetæ parabolicas sententias passim adhibuerint; neque dubium sit, quin hoc doctrinæ genere multo plus conu-
 lerint ad veræ virtutis ac sapientiæ culturam, quam vni-
 versa, quibus de cetero suus honos maneat, philosopho-
 rum systemata moralia. Rectè *Augustinus* lib. II. de Doctr. Christ. c. 6. Tom. III. f. 23. *Nemo ambigit, inquit, & per similitudines libentius queque cognosci, & cum aliqua diffi-
 cultate quesita multo gratius inueniri.* Esto igitur, Salo-
 monem *luisse* similitudinum ænigmatumque picturis, sic tamen luit, vt qui philosophatus quam maxime; nempe vt pondera doctrinæ, his condita aromatibus, eo suauius fortiusque in hominum destluerent animos.

Auctoritas
 canonica,

§. XXII. Quod ad canonicam huius libri auctorita-
 tem, agnoscunt eam cum Iudæi, quibus τὰ λόγια τῶ Θεοῦ
 concredita sunt Rom. 3. 2. tum Christiani, idque consensu-
 one

Ex LXX virali Versione textus prouerbiales allegantur lac. q, d. et 1 Petr. 5,
s. coll. Prou. 3, 3 q. Hebr. 12, 13. coll. Prou. q, 20.

(23)

one unanimi Confirmat eandem, quod Scriptores N. T. iique *ἁπόστολοι* ad hunc ipsum librum subinde remittunt atque respiciunt, Ex. gr. Rom. 12, 20. coll. Prou. 25, 21, 22. Hebr. 12, 5. 6. coll. Prou. 3, 11. 12. 2 Petr. 2, 22. coll. Prou. 26, 11. cetera. Quin *Huetius* in Demonstr. Euang. p. 402. obseruat, etiam Veteris Testamenti scriptores, qui posterioris aui fuerint, ex Prouerbiis sententias aliquot in suos traduxisse libros. Ut cetera exempla, quae Vir doctissimus adfert, mittamus, hanc ipsam, quae iacet in primo Prouerbiorum capite, (c. 1, 16.) *Pedes eorum ad malum currunt, & festinant, ut effundant sanguinem*, totam ait apud Esaiam c. 59, 7. reperiri. Id quod auctoritatem huius libri ex antiquioris Ecclesiae Iudaicae Prophetarumque iudicio non leuiter illustrat.

§. XXIII. Exstat quidem in Tr. Talmud. *Schabbath* c. 2. f. 30. b. *ואף ספר משלי בקשו לגנוהו שהיו דבריו כותרו* ז' את זה: *Etiam librum Prouerbiorum sapientes voluerunt ἀπομυκτην*, (referte inter apocryphos), eo quod verba eius inter se pugnarent. Verum, quod probe notandum, facere hoc voluerunt magistri, non fecerunt. Mentem enim suam mutarunt, ut narratur ibidem, hac ratione inducti, quod *ספר קהלת לאו עיינון ואשכחינו טעמא דכח* *ליערי*, licet in libro *Coheloth* non perspiciatur, & inueniatur ratio conciliationis, hic tamen perspicui possit. Scrupulum nempe mouerant sententiae *ἐναντιοφανείς* Prou. 26, 4. *Noli respondere stulto secundum eius stultitiam*, & v. 5. *Responde stulto secundum stultitiam eius*: In quibus tamen, vel mediocri diligentia inspectis, non solum contradictio nulla est, ut Talmudistae ipsi falsi sunt, sed ornatus etiam summus, & summa emphasis. Porro ex Christianis *Theodorus Mopsuestanus* ea fuit audacia, ut humana tantum sapientia Salomonem Prouerbia dictauisse, neque prophetiae gratiam, cum ea scriberet, accepisse doceret: verum dam-

frustra in dubium vocata.

*cf. 2 Tim. 3, 16. μέγα ἔσται
ἡ σοφία αὐτοῦ. et 2 Petr. 2, 1.
ὅτι οὐκ ἔστιν ἄλλο γέγραπτον
ἐν τοῖς βιβλίοις τῆς προφητείας
καὶ ἡ σοφία αὐτοῦ.*

mnatus fuit synodo V. Constantinopolitana A. C. 551. *Heideggerus* in *Enchirid. Bibl. ad hunc librum refert.*

*Ordo in libris
metricis,*

§. XXIV. *Ordo*, quo libri metrici, atque in his no-
stra cumprimis Prouerbia, in sacro disponuntur canone,
veteribus ac libris MStis idem non est, quem impressæ
Codicis Hebræi editiones hodie obseruant. Etenim se-
cundum *Talmudistas* in *Babababrac* c. I. f. 14. b. *Masoresbat*
& exemplaria aliquot MSta, item secundum *R. Maimoni-*
dem in *Iad Chazaka* P. I. f. 95. b. & *R. Gedaliam* in *Schal-*
scheleth hakkabbala f. 67. b. libri metrici sic ordinantur,
Psalmi, Iobus, Prouerbia; & hæc ita, vt excipiantur statim
a *Cobeleth & Cantico canticorum*. Eundem ordinem secu-
tus est *codex τω LXX. Alexandrinus*, vt apud huius exscri-
ptorem *Cl. Grabium* in *Prolegom. c. I. §. 2.* videre licet.
Et habet omnino ista dispositio hoc laudabile, quod Salo-
monis libros, vtpote ab vno exaratos auctore, coniungat,
quomodo eos etiam *Melito* apud *Eusebium* in *Hist. Eccl.*
lib. IV. c. 26. & *Patres Græci* apud *Grabium* l. c. §. 3. con-
iunxerunt. Nempe quid mouerit Hebræorum sapient-
es, *R. Isaac* in *Tosephoth* ad *Babababrac* c. I. f. 14. b. luculen-
ter prodidit: והא דלח כתבו (לאחר) אחר משלי משום שלא
להפסיק ברברי שלמה. *Quod Iobum*, inquit, *non scripserint*
post Prouerbia, causâ est, *vt ne verba* (libros) *Salomonis*
interrumperent. Illud tamen inconcinnius est, quod idem
ordo *Iobum* inter *Psalms & Prouerbia* medio ponit loco.
Aptius enim, vt *Salomo Dauidi*, filius patri, temporis rati-
one successit, sic *Prouerbia* succedunt *Psalterio*. Quomo-
do *R. Gedaliam* in *Schalscheleth hakkabbala* f. 67. b. Iudæos
Germanos ait *ProuerbiaPsalms* subiicere: eodemq; ordine
priscos etiam vsos fuisse Hebræos, constat ex *Hieronymi*
Præf. in librum Regum p. m. 17. quippe de partitione Co-
dicis S. ex Hebræorum mente loquens, *Tertius ordo*, in-
quit,

quic, *Hagiographa possidet.* Et primus liber incipit ab *Iob.*
Secundus a David. - - Tertius est *Salomon, tres libros ha-*
bens, Prouerbia, quæ illi parabolas, id est, Mistle adpellant.
Quartus Ecclesiastes, id est, Cobeleth. Quintus est Cansi-
cum canticorum, quem titulo Sir asirim adpellant.

§. XXV. Porro, quod ad nexum libri internum, est *Rara in sen-*
sententiis connexio.

quidem sub initium eius c. I-- IX. est etiam in fine libri c.
 XXX. & XXXI. certa in sententiis series & connexio, ita ut
 ad se mutuo respicientes, aliæ ex aliis pendeant: in ipsis ve-
 ro gnomis seu intermediis libri partibus c. X. & seqq. talis
 connexio frustra vplurimum quæritur, aut saltem coacte
 admodum inuenitur. Singulæ gnomæ singulos fere ab-
 soluunt sensus: rarius duæ aut plures, quæ cognati sunt
 argumenti, cohærent. Collecta nimirum sunt Salomonis
 prouerbia non secundum locos communes, (nec enim sy-
 stema aliquod morale Rex sapientissimus componebat) sed
 ut quæque vel dictata ab eo fuerant, vel colligenti in ma-
 nus venerant. Vitæ enim prodesse, quam seruire scholis,
 & voluntatem magis pertrahere ad obsequium, quam nex-
 us artificio adficere phantasiam, & oblectare ingenium,
 constituerat. Interim prudens lector, qui de rebus ex se
 potius iudicare nouit, quam ex accidenti, hæc Salomonea
νεμηδία ideo, quod discreta sint, non minus æstimabit,
 quam gemmarius vniones sparsos filoque nullo colligatos.

cf. c. 11, 10, 11, 12, 13.

§. XXVI. Stilis Prouerbiorum, ut Regem eumque *Stilus inge-*
niosus. sapientissimum decebat, est elegans vbique, venustus, in-
 geniosus, suauis. *Quæsiuit* enim Salomo, uti ipse Coh. 12,
 10. scribit, *inuenire* (רברי דמפי) *verba desiderii*; ut præ-
 cepta sapientiæ, quæ inculcabat, tanto potentius in di-
 fcentium animos influerent, & vi sua instructa, & sermo-
 nis concinnitate, acumine stimulisque ornata. Est autem
 stilus passim apertus quidem ac simplex; vplurimum ta-
 men tectus, argutus, breuis, aliquando etiam studiose am-
 biguus, ac ænigmaticus pæne: nimirum ut lector, quæ non
 sine

sed subinde
obscurus.

D

sine

sine labore & animi attentione intellexit, eo magis æstimet, ac æstimata firmius retineat. Quam in rem ita habet *Eusebius* lib. I, contra *Marcell.* Ancyr. c. 3. p. 17. *Vsus est Salomo, ad ingenia legentium exercenda, problematibus subobscuris, sermonibus tortuosis, & vocibus per ænigmata procedentibus.* Et *B. Glassius* Rhet. S. Tract. I. c. 22. p. m. 511. Spiritus sanctus, inquit, obscurioribus sententiis fastidium lectoris Scripturarum detergere voluit, sicuti locis æpioribus fami occurrit, atque ita magnifice salubriterque Scripturas modificavit, ut *Augustinus* lib. 2. de Doctr. Christ. c. 6. loquitur. *Manifestis pascimur, obscuris exercemur, ut idem inquit tract. 45. in Ioh. Digna sunt autem, quæ transferibamus, verba Prosperi, a Suicero in Theol. Eccl. sub rcaΦ) ex sententiis eius p. 647. tanquam aurea laudata:*

*In sacris quanquam libris, quos nosse laboras,
Plurima sunt, Lector, clausis & opaca tibi:
Inuigilare tamen studio ne desine sancto,
Exercent animum dona morata tuum.
Gratior est fructus, quem spes productior edit;
Vltro obiectorum vilius est pretium.
Oblectant adoperta etiam mysteria mentem:
Qui dedit, ut queras; addet, ut inuenias.*

Observationes, quomodo explicatio facilius fitur?

§. XXVII. Dubium quidem vix est, quin multa in Proverbiis planiora futura essent, si, quo tempore quæ occasione dicta essent, sciremus: at hoc subsidium, quo vix melius vllum esset ad eruendum sensum grammaticum, in plerisque frustra requirimus, in paucissimis coniectura tantum attingimus q).

- fuerit;
q) Ex. gr. Casus fideiusionis Regem pro tribunali sæpius exercuisse videtur: qua quidem in re cum homines leuiter vltimum agere, indeque multas in ciuili vita confusiones exsistere animaduertent, mirum non est, quod plures contra hanc leuitatem sententias fat acres & (vt causarum ciuiliu vsum nullum habentibus vide-

fuerit, ad minuendas difficultates, attendere in plerisque sententiis vel *anthesin* vel *comparisonem*, ita ut alterum sententiæ membrum habeat *profasin*, alterum vero *apodofin*. Speciatim vero obseruent, alterutrum sæpe membrum sententiæ ex altero supplendum ac illustrandum r); subiectum orationis cum prædicato s) crebro transponi; nonnullas gnomas, ut prouerbiorum fert indoles, hyperbolen habere, ut *emphasis* orationi concilietur t); alias ironiam atque *mimesin*, ut quod concedere videtur, eo falsius perstringat u); alias *ænigma* x): porro nonnullas exhibere obseruationes facti potius, quam iuris y); comparari item aliquando plura, quam duo, eoque casu *comparisonis* intentionem ac *emphasin* tendere ad vltimum &c. z).

18

§. XXVIII. Restat, ut de prouerbiorum diversis in locis repetitione, huiusque causis, aliquid adiciatur. Recurrunt enim aliquando eadem gnomæ, ita ut aut nihil omnino in eis sit immutatum, aut pauca tantummodo litte-

*Prouerbia
quædam reur
repetita sunt?*

rae. videri poterat) duras, quæ in Prouerbiis reperiuntur, pronunciantur: voluit enim homines vel damno suo cautiore & ἀνεπιβεβήτους facere.

- r) Ut c. 10, 8. *Sapiens corde accipit præcepta*, adeoque indemnus manet; *at stultus labiis*, quod recusat accipere præcepta, *intricatur malis*. Sic v. 13. *In labiis prudentis inuenitur sapientia*, adeoque non vapulat propter inconsideratos sermones; *at baculus dorso dementis*; eo quod in labiis eius inuenitur stultitia.
- s) Ut c. 10, 20. &c. c. 6, 12. c. 11, 29. c. 28, 22.
- t) Ex gr. Prou. 17, 17. c. 20, 6. c. 27, 22 &c. quale est etiam illud Matth. 19, 24. In cuiusmodi locutionibus B. *Glossius* Rhet. S. Tract. I. c. 19. recte monet, non τὸ ῥητόν, sed διαίτην spectari, perinde ut in tropis.
- u) Ut c. 19, 27. c. 24, 33.
- x) Ut. *canon* c. 21, 10. seqq. *Sapientiam perpetuis sub inuolucris laudat. 17) vide illic notata.*
- y) Conf. c. 17, 8. c. 18, 16. c. 19, 6. 7. c. 20, 14.
- z) c. 6, 16.

1 c. 21, 9.

ra. Qua ratione id factum sit, scire lector cupiet: explicabimus ergo, quoad nostra perspicit imbecillitas, breuiter. Primo autem huc facit, quod Prouerbia Salomonis (prout nunc ea habemus) non omnia ab ipso Salomone, sed aliqua ab Hiskia viris in hunc librum congesta sunt, coll. §. 12. 13. quid mirum igitur, si easdem sententias, quas Salomo ipse in hoc libro iam scripserat, etiam viri Hiskia ex aliis Salomonis libris cum ceteris transcripserunt? Confer. e. g. c. 18, 8. cum c. 26, 22. & c. 20, 16. cum c. 27, 13. item c. 22, 3. cum c. 27, 12. Supponimus porro, quod iam supra §. 15. ex B. Geiero obseruauimus, Prouerbia sine dubio non semel a Salomone dictata, sed pro re nata sepius repetita; addimus eadem aliquando non solum occasionibus diuersis, sed diuerso etiam nonnihil consilio ac scopo potuisse pronuciari: cuiusmodi circumstantia, cum sententiam quodammodo varient, iteratam eius scriptio- nem effecerunt: quamuis nos diuersitatem respectus haud vbique queamus hariolando penitus attingere. Denique quod in prouerbio est, *δὲς ἔς τῆς τὰ καλὰ*, id huc quoque pertinet: itaque si vel nulla alia repetitionis causa praeter hanc ipsam nobis suppeteret, tamen iteratio sententiarum nequiquam nos offendere deberet. Facit enim illa ad imprimendam lectoribus rei, de qua dicitur, magnitudinem, necessitatem, utilitatem ac certitudinem.

c. 14, 12. et c. 16, 28.

Conclusio.

§. XXIX. Et haec quidem dicenda de Prouerbiis habuimus: ad quae ipsa lectorem nostrum nunc ablegamus, ex animo comprecantes, vt hoc ei Prouerbia fiant, quod Salomo Coh. 12, n. de sapientum verbis praedicat, nempe *sicut stimulus, & sicut clauis depacti.*


F I N I S.

Bla 278

ULB Halle 3
004 145 070







an4

DISSERTATIONEM EX PHILOLOGIA S.
DE
**PROVERBIIS
SALOMONIS,**

Volente ac propitio Deo,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, CETERA,
PRAESIDE

**M. CHRISTIANO BENEDICTO
MICHAELIS,**
FAC. PHILOS. ADIVNCTO,

d. Aug. c101000 XII.
IN ILLVSTRI FRIDERICIANA,

Placido *συμφιλολογόντων* examini
iubiiciet

HENR. WOLFFG. FRATZSCHER,
ERFVRT. S. TH. STVD.

HALAE MAGDEBURGICAE,
LETTERIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYPOGR.